

Embedded Reading

Minos

Versio II

Minos rex, qui Cretam insulam regebat, ibi magnam et pulchram regiam, multos servos, magnam pecuniam habebat; itaque superbus factus erat. „Dei enim me amant;“ inquit, „si enim a deis peto ut mihi donum dent, statim donum ad me mittunt.“

Olim exiit et oram maris petivit; ibi vero Neptunum talibus verbis oravit: „O Neptune,“ inquit, „oro te ut pulchrum taurum ad meam insulam mittas, quem tibi, marium omnium deo qui magnos fluctus excitas tempestatesque sedare soles, sacrificabo!“ Neptunus ex fundo maris eum audivit et pulcherrimum magnumque taurum ad insulam Cretam misit.

Minos, ad taurum accedens, eum magna cum cura spectavit: noluit tam formosam bestiam Neptuno sacrificare: „O servi,“ inquit, „vobis impero ut taurum minus pulchrum ex stabulo meo sumatis: curate tamen ut colore sit similis huic, quem Neptunus misit.“ Vix haec dixerat, cum servi, qui severum atque superbum regem timebant, quam celerrime potuerunt imperata fecerunt: itaque ad stabulum cucurrerunt unde alterum taurum ad litus duxerunt. Minos servos iussit sacrum taurum, quem Neptunus miserat, ad stabulum agere atque ianuas claudere: „Nunc magna cura facite, ut nemo hunc taurum videat: impero vobis ut eum bene in stabulo occultetis.“ Deinde rex, laetus quod tam pulchrum taurum sibi paravit, ad regiam suam rediit. Neptunus tamen facile omnia intellexit, quae rex fecerat. Iratus igitur ad oram maris venit; ad stabulum cucurrit, et suum vidit taurum in stabulo inclusum. „O improbe Minos!“ exclamavit, „me fallere voluisti! Efficiam igitur ut pulcherrimus ille taurus, quem tibi largitus eram, in saevum monstrum mutetur!“

Ex stabulo taurum, qui ferocissimus factus erat, emisit; qui, in homines impetum infestis cornibus suis faciens, multos viros multasque feminas morte interfecit. Incolae perterriti, quamquam funibus et hastis utebantur, taurum huc et illuc currentem capere non poterant; nec e tali periculo liberati sunt, donec Hercules, qui in Cretam venerat, illam saevissimam bestiam tandem cepit.